

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0379

0377

0383

0373

0388

0368

0428

0328

0478

0278

0878

Ende

Anfang

366

vicit, quem nemo vincere potuit, Judic. XVI. Vidimus etiam latissimos campos et agros et clivos ad frumentum et vinum ferendum aptissimos, in quos misit Samson trecentos vulpes, alligans ardentes faces ad caudas, et omnes segetes, vineas et ficalneas combussit. Vidimus etiam a tergo montes Israel et ante nos vidimus mare mediterraneum. Et his consideratis descendimus et per portam praedictam reingressi sumus.

Porro non longe a porta est una sarracenica muschea in eo loco, ubi tempore Samsonis erat hospitale adventantium, cuius domina erat meretrix. Ad quam ingressus Samson ibi dormivit et eadem nocte cluserunt Philistaei portas civitatis, ut Samsonem in crastinum caperent et interficerent, (b) sed ipse media nocte surrexit et portas asportavit, ut dictum est. His visitatis et visis reversi sumus in locum nostrum, ibique simul consedimus et querulosa tristitia contulimus de miserandis adversis Samsonis post tam ammiranda prospera. Per angelum quippe Domini praenuntiatus fuit et miraculose ex sterili matre progenitus, qui cum Nazaraeus esset, comam Dei jussu servans et sibi a sicera cavens et vino in floridam juventutem atque praevalidam et admirabilem cunctis excrevit. Cujus multiplicitia insignia fortitudinis sacra Judicum prodit historia. Unde judex summi magistratus apud Dei populum Israel constitutus est, nec defuerunt, qui leonem a se occisum Nemeum dicent et Herculem arbitrarentur Samsonem; deinde etsi affirmem contradixisse nescio quid resultet. Sed quid tanta? Magna haec erant, imo per maxima ad gloriae apicem obtinendam, quam hac in vita felicitatem arbitramur, insciis, quod qui leonem in crinis strangulare, qui maxilla asini homines conterere, vi revulsas ex cardinibus valvas in montium vertices asportare potuerat, hic lubricum fortunae ludum sistere non potuit. Nam cum sibi nimium consideret et meretriculam Dallidam adamaret, a fictis ejus lacrimis et verbis blandis motus se decipiendum tradidit ferox. Unde dormienti crines, quas ipse a nativitate intactas servaverat, mulier abstulit et effoeminatum in manibus hostium illudendum concessit, cui effodere oculos et intrusere carceribus, defatigari jumentorum more ad molas manuarias coegere. Sic adversa credulitas, sic amantis

